

Zb

7199





MEMORIAM

Nobilissimi, Amplissimi atq; Praecellentissimi
quondam VIRI

**DN. M. GODO-
FREDI HOFF-
MANNI,**

Rectoris Gymnasii Zittaviensis
celeberrimi

Philologi & Polyhistoris non de Lusatia saltem

sed universo orbe literario meritissimi

d. 3. Octobr. finitis ante meridiem sacris

in aroaterio Zittæi primario

sermone parentali

pio magis quam comto aut erudito
reculturus

**MAGNIFICOS ATQ; PRÆNOBILISSI-
MOS ZITTAVIÆ PROCERES**

omnes literarum Patronos, fautores atq; amicos

Virtutum deniq; ac meritorum Hoffmannianorum

cultores universos

ad qvaliacunq; hæc solennia
affectu devotissimo atq; peramico

invitat

laudatissimi VIRI in officio

successor

Jo. Chr. Wenzel/ D.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.



Lectores omnium ordinum honoratissimi!



Agacissimus rerum antiquarum indagator *Christianus Franciscus Paullini*, civis meus ac sautor, dum viveret, optimus, nummi cujusdam argentei in coenobio Amelunxbornensi sibi oblato meminit, cujus autorem *Dancmarum*, *Abbatem Corbejensem* fuisse suspicatur. Conspiciebantur in altera ejus facie *quinq; lilia*,

additis in margine literis, B. A. N. D. inferiusq; signo crucis. Per literas illas quatuor non Germanorum *Band* / sed voces latinas, *Benè, at non diu* significari, addit. (Philos. *Lustst.* P. I. p. 498.) Evidem, cuiusnam rei aut personæ jucunda hæc imago dicata fuerit, disertè non indicat: procul dubio verò in memoriam atq; honorem laudati Abbatis, qui eandem loco symboli, per vitam constanter circumtulisse legitur, posteritas grata excuderat. Verùm nisi metuendum esset, ne ineptientis cujusdam *anagias* arguerer, sub adultam hanc autumnitatem, quâ, licet præter morem blandâ ac mansveta, omne ferè florum decus contumultatum est, quasi postliminio liliorum familiam reducens: pulcherrimam illam imaginem memoriæ *Nobilissimi, Amplissimi atq; Præcellentissimi quondam Viri, DOMINI GODOFREDI HOFFMANNI, Rectoris Gymnasii nostri undiquaq; celebratissimi, Philologi ac Polyhistoris de orbe literario, Scholisq; Germanorum universis meritissimi*, consecrarem. Ast quis jure ad absurda referat, quod sapientissima mater, natura, absurdorum censui exemit? Memoriæ profuturum est, eâ ipsâ nocte, qua gloriosissimus Romanorum Imperator, Hispanorumq; Rex, *Carolus Quintus*, decessit, lilium, in horto secessui ipsius contiguo, postquam per integrum mensium æstivorum decursum, calicis sui apertionem minitatum fuisset, subito candidum suum decus, non sine spectantium admiratione, pulcherrimè explicasse. Si itaq; naturam non puduit, tempore tam alieno & insveto, lilium producere, quasi illud maturè provifura, quò in exequiis Divi Herois altare exornandum esset; cur me pudeat, illius monumento, eodem mense, imponere lilium, cui non solum idem ferè cum Carolo tempus emortuale contigerat, sed cujus vita & virtutes candidissimæ merentur, ut Charites ac Musæ omnes ceratim lilia sua ac rosas in sepulchrum ipsius effundant. Vita ipsius universa antiqua fide ac candore, campum quendam liliis undiq; albicantem exscribebat, qualis propè Susam Persiæ urbem superbiere creditur. In nummo illo Abbatis quinq; notabanrur lilia: In *Hoffmanno* nostro quinq; virtutes præcipuè emicabant, quarum singulæ liliatum quoddam, *Palladii* voce, appellari merebantur. Quis enim est vel in Lusatia, vel Misnia, quis in Silesia tandem, ad quem præconia *Pietatis, Spei, Fiduciae, Liberalitatis* ac *Humilitatis Hoffmannianæ* non penetraverint. Sed quid de literis illis quatuor futurum esse putatis, quibus nummi memorati stipabatur imago? Sanè, si rectius cogitaverimus, quæ spatia in curriculo Scholastici muneris confecerit, quos labores eminentius fuerit, transponendi videntur laudati literarum characteres.

Scri-

Scribemus itaq; D. A. N. B. *Diu, at non bene.* Ut inusitata fide & dexterritate officio suo praesuit: sic non tam bene semper successit opus, ut nihil interspersum fuerit mali. Ubi felicissima videtur Rectoris Scholastici vita, labore Herculeo, fastidiis, invidiis, odiis, simultatibus, contentu, judiciis ac censuris iniquis, quin cavillationibus etiam & calumniis, ut ventis quibusdam, exagitur. Quo intensius opus Domini urferis, eo majores adversitatum fluctus excitat stygius ille Scholarum hostis. Si disciplinae severiori instes, aut ille exacerbandus est, quem castigas, aut offendendi illi, quos parentes & cognatos (penes dixerim, nutrices vetulas) agnoscit & veneratur. Emendationem volunt: sed emendantem averlantur. Ulcera curanda offerunt: aut, si ferrum aut ignem e longinqvo saltem ostenderis, perire delicatulum malunt, quam corrigi. Simulac Schola flore suo gaudere coepit, bone Deus, quas artes allicendi, quas blanditias, nugas venales, jocos scurrales, si non mimos & acroamata, comminiscuntur, quibus Rectorem adolescentulos inescare, & in retia sua pertrahere, sine fronte adseverant. Modo ipsam ampullas projicere & sesquipedalia verba, quid? quod omnia ejus dicta deauratis medicorum catapotiiis similia esse, clamitant. Mox conductores quosdam, praecones ac pararios emitti mentiuntur, qui propositis ac promissis nescio quibus deliciis, incautis & curiosulis ingeniis vase imponant. Nunc indulgentiam & disciplinam justo laxiorem vituperant, cujus suavitate juvenum animi libertatem perdit eamantes, quasi fascino quodam, ac poculo Circaeo, demententur, illicianturq;. Nunc loci genium ad voluptates compositum, hospitiorum commoditates, civium liberalitatem & favorem in Scholasticos pronum, pro vera status florentis causa agnosci volunt, paucis ad eos, qui Scholae vel praesunt, vel docendo profunt, laudem promeritam referentibus. Aut, si ex adverso Schola flore suo decidat, aut omnino ad eum non assurgat, id quod mille fere temporum fatorumq; conversionibus, bello, annonae caritate, Scholarum vicinarum celebritate ac frequentia, quid? quod ipsorum juvenum levitate ac pruritu, & non raro disciplinae adstrictioris aversatione, contingere potest & solet: quam facile vitium aliquid aut defectum Rectori imputant malevoli, cui in acceptis referenda sit rei scholasticae infelicitas. Verum, prout publica voce fatendum est, *Beatum Hoffmannum* a communibus hisce Rectorum fatis ac adversitatibus fere fuisse immunem, adeo ut non una asseruerit vice, se per universum vivendi spatium (si acerbissimam *Guntheriae* suae, uxoris prioris, mortem excipiat) nullam se sentire calamitatem: Sic, negata etiam hac felicitate, scribendum erat: *Diu es bene.* Per viginti annorum spatium in Lyceo Laubanensi desudabat, primum Con-Rectoris, deinde Rectoris munere defungens, & ea quidem cum laude, ut factis ipsius ac conatibus felicitas non minus quam fama adspirare videretur. Testimonium omni exceptione majus perhibent tot ingenia nobilissima, quae sub illo ad omne cruditionis elegantioris pariter ac solidioris genus, felicitate invidenda, adoleverunt. Et si haec ipsa deficerent, idem plus satis testarentur Laubanensium

sium preces, si non & lacrymæ, quibus fidissimi sui *Hoffmanni* discessum remorari vel planè avertere contendebant. Adesto itaq; grata posteritas, cineribusq; *Hoffmanni* intercribe: *Diu & benè*. Ast sola nostra *Zittavia* literas illas primas sibi reposcere videtur, *Benè at non diu*, scriptura. *Benè* heic muneri difficillimo præfuit. In docendo enim nihil eorum omisit, quæ juventuti vel necessaria vel salutaria esse cognoverat. In perficiendis laboribus aliis, tam alacrem, tamq; impigrum ac indefessum sese præstitit, ut sæpè cibo & somno abstineret, operæ suæ, cui intentus erat, manum ultimam impositurus. Nemo unquam diciplinam adstrictiorem impensius ursit, nemo gravius exercuit *Hoffmanno*: sed nemo etiam faciliiori successu, non saltem, quod severitatem blandissimâ quadam humanitate condiret, sed quod animadverterent quoq; adolescentes, nihil inculcari præceptis, quod ipse non exprimeret exemplo. Ut *Euphrates* ille *Plinianus* humanitatis, sic *Hoffmannus* pietatis plenus erat, quam præcipiebat. Sed quid hoc *benè*, si non diu? inquis mea *Zittavia*. Dicam pace tua: *Sat diu, si sat benè!* An planetam hunc aut illum propterâ præferes soli, quod ille vix aliquot lustris iter absolvit, ad quod emetiendum, publico orbis lumini annus sufficit? Meritis & utilitate, non annorum intercapedine metienda est *Hoffmanni* tui vita. Quid vero? an nondum credis, *Hoffmannum* tuum & *benè* & diu vixisse? Diutecum vixit, quia *benè*, ut rectè cum *Sprælingio* Poëta canamus:

Lilium erat: gratum nobis spirabat odorem;
 Marcuit aut subito, cur? quia *lilium* erat.
 Qui *benè*, quamvis ille *diu* non vixerit, ejus
 Vita *diu* mihi fat, cum *benè* fat fuerit.

Diu vivit, quia æternum *benè*. Vivit in cælo candidissimum hoc *lilium*, & à *Regis*, in quibus cum *Jesu* pascitur, divinum nanciscitur decus. Vivit, & è manu dulcissimi Servatoris infinita pietatis, fidei ac liberalitatis in egenos, præmia refert. *Diu* vivit, quia in terris post fata etiam *benè* vivit. Vivit in derelicta ac orba, quæ videtur, sobole. Quoties enim tot splendidissimorum *Cognatorum* beneficia ac solatia, tantum summorum *Patronorum* ac *Evergetarum* favorem ac præsidium respicimus, quibus calamitas illorum ac miseria demulceretur, quis non animadvertat, in ipsis pietatem paternam & vivere & coronari. Vivit præcipuè in *Nobilissimis filiis* natu majoribus, quorum in virtute ac eruditione incrementa partim admirari, partim laude & applausu publico, imo & præmiis colere cœpit *Lipsia*. Vivit denique in illorum memoria, quibus olim in sinu suo semina virtutis doctrinæque veræ ingessit. Ut enim per *Hoffmannum* *benè* vivere didicerunt: sic, ut *Hoffmannus* vicissim per monumentum aliquod honori suo excitatum, inter posteros quoq; bene & diu vivat, sedulo providerunt. Nonnulli scilicet ex *Auditorum Hoffmannianorum* numero, Pietate duce ac grato animi affectu, me meosq; in officio successores, legato satis liberali, obligarunt, utingulis, si qui futuri sint, annis, dies *Hoffmanni* emortalis oratione aliqua Parentali celebretur. Cum itaq; bono cum numine, die crastino, post finita sacra matutina, mœsti quidem sed debiti officii facturi simus initium, *Magnificos atq; Prænobilissimos civitatis nostræ Proceres*, literarum *Patronos*, *Fautores* atq; *Amicos* omnes, meritum *Hoffmannianorum* deniq; cultores universos, affectu humili, devoto ac officiosissimo rogo obtestorq; ut splendidissima sua præsentia testari dignentur, ne in se quidem vivere desuisse *Hoffmannum*.

P. P. Zittavia, d. 2. Octobr. M. DCCXIII.

q-
q;
ibi
æ-
lu-
m
n-
io-
ori
on-
is,
fic
on
am
vit,
ate,
an
via

& à
na-
nia
cīta
aro-
vo-
tur,
Vi-
one
niis
luc
ye-
ex-
ulli
ffe-
ilis,
ele-
ina,
imoī
eri-
ac
tur,

Par 26 7199 174

ULB Halle 3
004 837 894



f

VD 18





MEMORIAM

Nobilissimi, Amplissimi atq; Praecellentissimi
quondam VIRI

DN. M. GODO- FREDI HOFF-

ANNI,

Gymnasii Zittaviensis
reuerentissimi

Historis non de Lusatia saltem
orbis literario meritissimi
vixit ante meridiem sacris
in Gymnasio Zittæi primario
in pietate parentali

in am comto aut erudito
reueculturus

ATQ; PRÆNOBILISSI- MAE PROCERES

patronos, fautores atq; amicos
meritorum Hoffmannianorum
res uniuersos

inueniunt; hæc solennia
in officio atq; peramico
inuitat

mi VIRI in officio
successor

r. **Wenzel** / D.

ZITTAVIÆ,

Michaelis Hartmanni.

